



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 100. Pragmatica Sanctio in Bituricensi conventu condita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

quam sæculares, qui erant ex supremo Sæcul. XV.
Regis Consilio. A.C. 1438.

§. C.

Pragmatica Sanctio in Conventu Bituricensi condita.

Igitur in hac Bituricensi Congregatione de consilio Senatus Regii famosum illud conditum est statutum, alias *Sanctio Pragmatica* dictum, quo nomine indicari solent Constitutiones in gravioribus Status Politici vel Ecclesiastici causis, vel saltem quarumdam communitatum negotiis erectæ, vel si mavis sub hoc nomine veniunt sanctiones in publicis comitiis latæ ex consilio plurimorum juris peritia exercitissimorum Virorum, qui *Pragmatici* appellari consueverant. Decantata est illa Caroli VII. Pragmatica Sanctio. Haud abs re fore judicamus, si ad pleniorum eorum, quæ in ea pertractarentur, notitiam nonnullas animadversiones præmittamus.

I. Observandum igitur, Episcopos olim Cleri ac populi suffragio electos, tractu vero temporis in Oriente populum ab electionibus exclusum fuisse: Occidentalem autem Ecclesiam antiquæ huic consuetudini in ipsis quoque summorum Pontificum electionibus inhæsisse.

II. Quam-

Sæcul. XV.
A.C. 1438.

II. Quamdiu Galli Romanorum Cæsaris imperio, Clerus adstante populi testimonio suos eligebat Episcopos; his vero jugum excutientibus Reges Galliæ adhibito Præsulum consilio nominabant Episcopos, qui ut gratum animum, simulque Regum benevolentiam aucuparentur, statuerunt, nullam posthac electionem absque Regum consensu validam fore. Nihilominus tamen idcirco Clerus, populusque a jure eligendi non excludebatur, sed duntaxat nulla amplius Episcopi electio absque Regis scientia atque voluntate celebrabatur. Hæc illo ævo vigeat disciplina, saltem Ludovico pio rerum potente; candidè enim fatemur, ante illius tempora electiones minus fuisse liberas; Reges quippe facultate sibi ab Episcopis liberalius indulta abusi, pro summo imperio, atque arbitrio electionum fortes moderabantur.

§. CI.

De veteri electionum norma.

III. Igitur ea repetamus tempora, in quibus amplior erat eligentium libertas. Illa ætate Clericorum æque ac Laicorum nonnulli comperta Episcopi sui morte ad Metropolitam suos mittebant delegatos, ut vacanti Ecclesiæ Episcopum